

mero. Libri *Salomonis* Praeloquiis gaudent. Duplici ante *Proverbia* Nota isthaec subjecta est: *Ideo et de greco et de hebreo prefaciuncula utraque in hoc libro premissa est: quia nonnulla de greco ob illuminationem sensus et le- gentis edificationem. vel inserta hebraice translationi. vel extrinsecus iuncta. Et idcirco qui legis semper peregrini memento.* Quisnam hic *Peregrinus*? An *Conradus Hirsaugiensis*, quem sub *Peregrini* nomine multa vulgasse tradit *Tritheimius*? An *Peregrinus* ille O. P. cujus *Sermones* Sec. XV. pluries impressos habemus? *Ecclesiastico* adfuta est illa *Salomonis Oratio*, de qua jam ad alia Biblia diximus.

XIII.

62 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 182. cultu prioris, est *Tomus III. Sacrorum Bibliorum*, cui insunt: *Job*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *II. Machabaeorum*, *Isaias*, *Jeremias*, *Baruch*, *Ezechiel*. Omnia Prologis *Hieronymi* instructa.

XIV.

63 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 191. praecedentibus per omnia par, est *Tomus IV.* et ultimus *Sacrorum Bibliorum*, in quo continentur: *Daniel*, *XII. Prophetarum*, *IV. Evangelia*, *Epistolae Paulinae*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Canonicae*. *Apocalypsis*. Partim Prologis *Hiero-*

nymi, partim brevibus argumentis praemunita. *Job*. I. c. 5. testimonium terrestre ante coeleste positum est. Evangelistis in margine loca harmonica diligenter adscripta sunt. Illud addere libet, Nomina propria hebraica in  $\text{LX}$  definitia per Codicem in hac syllaba adspirari, monerique id expresse T. III. fol. 20. in margine occasione vocis *Ragubel*.

XV.

Codex membraneus lat. Sec. 23 XV. Folior. 435. f. max. sat nitide scriptus, librorum initiis auro, coloribusque illustratis continet *sacra Biblia V.* et *N. VI.* juxta vulgatam interpretationem praemissis ubique *Hieronymi* Praefationibus praeter Lib. *Machab.* quibus *Rabanus Maur.* praefatur. Libri se ordine consueto excipiunt. *Esdrae tertius* ob interjectum *Nehemiam* inscribitur *secundus*. *Cantica Canticor.*  $\text{di} \log \mu \omega \sigma$  exarata sunt, ut ad *Biblia Wenceslai Imp.* infra adnotavimus. *Evangelium Matthaei* haec praecedit rubrica: *Incipit evangelium. Mathei cancellarij iesu cristi.* Inter *Epistolas Paulinas ad Coloss.* et *Thessalonic.* intrusa est, minore tamen frontis ornatu, *Epistola ad Laodicenses* apocrypha, de qua confer *J. Alb. Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* p. 853. Ad calcem *Apocalypseos* ita legitur: *Explicit liber Biblie. Quem scripsit Johannes filius domini zacharie pellificis. Cuius Noue ciuitatis Pragensis. Et perfecit seu comple-*